

Ex-libris
Charles Atwood
Kofoid

DE
RHEUMATISMO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLVIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS TRUESTEDT
SAXO.

OPPONENTIBUS:
C. HOFFMANN, MED. ET CHIR. DR. AC MED. PR.
G. SIMON, MED. ET CHIR. DR. AC MED. PR.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO,

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Tempore nunc vivimus, quo omnes, summopere sibi consulentes, vehementi urgent animo, ut eo, quo tendunt, quam citissime perveniant. Jam nostra aetate dogma illud infame, quod primus protulit Lojola: „Finis sacrat remedium" plures obtinet asseclas, ac magis magisque omnibus subjicitur actionibus. Itaque quum ambitio regnet et quivis vehementior animi motus, revera difficile est, tranquillitate imperturbata jam aliquam tractare rem. Fulgentibus enim, quae lectoris animum occupant et inducunt, utuntur scriptores hypothesibus. Neque classica et antiqua illa verae tranquillitas scientiae effectum exercet idoneum et necessarium in animum, quo olim gaudebat. At ego, quod libenter profiteor, malo animo aequo rem obtueri, neque Icaricis suspensus alis ad nitentem pseudo-scientiae accelerabo solem, ut postea, tineae instar combustis alis in

barathrum irruam. Malo equidem silentio contemplari et tranquille deducere, neque volo splendidis conjecturis artificiosum et theoreticum exstruere aedificium, quod, simulac non praejudicata opinione perlustraveris, in pulverem recidat.

Poscitur autem a medicinae studiosis, si assecuturi sunt gradum doctoris medicinae, ut scribant dissertationem, qua demonstrent, quantam sibi paraverint quadriennio scientiam. Jam equidem eo perveni et, ut huic satisfaciam officio, hancce scripsi dissertationem. Quod attinet rem elegi perplexum illum et homines quam maxime vexantem morbum, quo nunc fere nemini parcitur scilicet Rheumatismum. Operam dedi, ut caussam et naturam dolorum cruciantium indagarem et, si hoc in casu errores commisi, veniam da, lector benevole, et juventuti meae eos attribuas et imperitiae. Nec existit homo perfectus, omnes errare possumus, unde mihi solatium, si ego quoque erravi. Recipe igitur hunc libellum, lector benevole, animo favente et, si non plane rejeceris magnum mihi parabis gaudium.

CAP. I.

De nomine morbi et quid sit Rheumatismus.

Morbi illi specifici, quibus fere omnes semel occupantur, et qui, sicut vulgo creditur, ex refrigeratione ducunt originem, Rheumatismus sunt et Catarrhus. Quae refrigeratio exoritur exaequatione inter organismi humani et atmosphaerae temperaturam, effectu quem exercet atmosphaera in superficiem organismi, in organon cutis. Eo facilius agit atmosphaera, quo major est temperaturae differentia, praesertim, ubi frigus cutem attingit, majore gradu functiones exercentem, ubi major adest irritatio, ubi plus secernunt glandulae sudoriferae. Ut vivus restet organismus necesse est, temperaturam, quae ei inest, majoris esse gradus, quam atmosphaericam, et habet organismus vim per se et ex se calorem gignendi. Caloris vel frigoris externi gradus solito majores facultatem corporis, qua proprium suum calorem contra externas potentias nocivas defendit, vincere possunt. Tum vero exstinguitur vita, organismus abit in corpus mortuum, externa temperatura afficitur, sicut

omnia, quae non continentur sphaera organica, comburitur, aut frigore interit.

Calor et frigus externum, humiditas et motus atmosphaerae potentiae sunt, quae in ipsos nervos cutaneos agunt, eosque vario modo usque ad irritationem anomalam afficere possunt. Hac autem ratione efficitur, ut partes periphericae vel aliae centrales, sympathia quadam (reflexu) cum nervis cutaneis conjunctae in systematibus suis capillaribus (per reflexum) actiones proferant, ex nervorum affectione cutaneorum physiologice progredientes. Jam nemo est, qui haud sciat hanc potestatem et vim externam quibusdam sub conditionibus perniciosam fieri posse, et si damnum fert ille effectus, refrigerationi ei datur nomen. Morbi, qui ea praesertim fiunt, Catarrhus sunt et Rheumatismus. Catarrhus est morbus membranarum mucosarum, ortus ex refrigeratione et Rheumatismus est affectio telarum fibrosarum vel serosarum, quae ex eadem proficiscitur causa. Rheumatismum hic intuebimur et tractabimus. Unde veniat nomen ejus, certo dicere non possum, sed credo illud originem ducere inde, quod Rheumatismus sicut „ῥεῦμα" fluvius, ex alio in alium fertur locum, neque certum obtinet et fixum locum. Sed omittamus nomen, vertentes nos ad rem ipsam, ad morbum et quae in eo videre possimus. Et primum quidem videamus, quo modo oriatur Rheumatismus et quae sint ejus propriae caussae.

CAP. II.

De Rheumatismi origine.

Permulti certe maximam dederunt operam ut Rheumatismi originem detegerent, et omnes, qui in hoc scrutandi actu partes susceperant, in eo denique convenerunt, fontem principalem et proximum ejus esse refrigerationem. Hoc autem minime dilucidum, ne dicam falsum, est inventum. Nam non solum subita refrigeratio, sed etiam calefactio morbum illum prolicere potest. Melius igitur dicamus, ut simul naturam et essentiam morbi perspicue demonstremus, nasci rheumatismum ex subita cutis temperaturae mutatione. Quae subita mutatio quum frigoris in calorem, tum, et hoc quidem saepissime accidit, caloris in frigus esse potest. Nec defuere qui electricitate quoque Rheumatismum nasci contenderent, sed miserae illi electricitati omnia semper adscribunt homines, quorum aliam caussam non possunt detegere. Ajunt enim: natura rheumatismi est nimia nervorum tensio electricitate producta. Eo, quod haec tensio non potest adaequare atmosphaerae electricitatem, dolor gignitur. Nam nervi affecti non possunt perferre hanc immodicam tensionem, ideoque dolorem percipimus, quia nervi cerebro hunc tensionis et doloris sensum impertiunt. Jam cerebrum in cor agit, quod sanguinem emittit, ut tensionem illam remittat. Postea

vero equidem operam dabo, ut demonstrem, quam fallax et caduca sit illa hypothesis. Antea autem verum me oportet investigare modum, quo Rheumatismus solo aliquo loco, aut majore propagatione oritur. Cutis externa semper primus est locus affectionis, quare hanc primum conspiciamus.

Ut procreari possit morbus, necesse est adesse contraria, id est, cutem oportet esse calidam, et aëris cursum ei incumbentem frigidum, aut vice versa. Cutis debet esse calida, id est bene agens, sanguis debet circulari, transpiratio esse bona, aut contra. Jam quae sunt res, quae in talem agant cutem? Sunt atmosphaera, ventus, frigus humidum. Primum igitur illorum trium jam excutiamus, qui adesse possunt, casuum. Cutis est calida, in majorem sublata activitatem. Quae activitas adaucta formam induit caloris. Haec cutis productum majore quantitate efficit, glandulae sudoriferae plus solito sudoris secernunt. Est igitur cutis et calida et humida. Jam quis est effectus? Cursus aëris frigidus calidum, irritatum attingit cutis locum. Nervos invenit plus solito irritatos. Irritationem imminuit ex vulgaribus frigoris legibus et repellit hoc modo transpirationem, quae, nisi libera nervorum actione, fieri non potest. Resolvit igitur frigus cutis actionem, eoque efficit, ut glandulae sudoriferae desinant proferre productum sudorem. Quo modo caussa affertur morbi. Nam organum aegrotat, quippe functio ejus pro momento aut in longius tempus oppressa est, aut

plane detrusa, omnino autem alienata. Inde febrem oriri posse et quidem quibusdam sub conditionibus, facile est ad demonstrandum (Rheumatismus febrilis). Nam actio illa, functio eo desinit, quod frigore nervi vasomotorii sunt paralysati. Deinde agere nequit organismus humanus, neque fieri potest aliqua organi functio, nisi juvante caloris actione et auxilio. Si desideratur calor, vel si oppressus est hostili potentia majore, functio succumbit, machina impeditur. Jam organon majore aut minore gradu passivum jacet, et propter haematostasin sanguis, caloris portator, qui quidem fons est motus et exaequationis organicae, retinetur, neque potest advenire. Si non affluit sanguis recens, sudor non potest secerni. Sanguis, qui eo tendit, reprimit; jam quum alius a corde appellatur, certamen oritur inter sanguinem affluentem et reprimentem. Stasis oritur, tumor, augetur temperatura, dolor existit nervorum offensorum, ut uno dicam verbo, nascitur inflammatio. Semper autem cum intensiore inflammatione febris est conjuncta, nam cor vehementer laborat, ut sua actione, quam sanguini tribuit, reactionem sanguinis, qui obstiterat, evincat. Est vero hoc certamen febris natura [1]). Si hoc certamen per longum durat tempus, morbus quoque

---

[1]) Vid. Burserius de Kanilfeld, institutiones medicinae practicae, Tom. I. Explicat ibi sententiam Cullenii, qui contendit: nasci febrem ex atonia vasorum minimorum, quae sicut spasmus causa sit proxima.

haud cito terminatur, si ad celerem tendit exitum, non diu vexantur aegroti.

Sed contrarius et oppositus quoque accidere potest casus. Rigida est et sicca cutis, cui subito calidus aëris cursus incumbit. Saepissime id hieme evenit, si quis, antea in frigido versatus aëre hiemali, conclave ingreditur bene calefactum, et nimis cito caloris appropinquat fonti. Termini inter gelationem et refrigerationem non strictissime sunt constituti et, licet non parvum sit paradoxon, haec duo morbi genera ex uno in alterum vertuntur, aut una inveniuntur. Calidus aëris cursus subito cuti incumbit frigidae, exsangui, cujus nervi insuper frigore ad minimum actionis gradum sunt redacti. Quid nunc? Subito sanguis eo affluit, subita oritur calefactio et momentanea sanguinis in vasis capillaribus stasis. Hoc modo intelligitur vehemens dolor, quum necessario ex pressione et contusione cutis nervorum sensitivorum sequatur. Qui rursus nervi per reflexum affectionem nervis vasomotoriis impertiunt, qui motum receptum vasis sanguiferis tradunt, quibus centripetali motu ille ad vitae centrum, ad cor affertur. Ex hoc reactio egreditur et existit febris. Jam intelligitur febris hoc in Rheumatismo, sed quomodo oriatur Rheumatismus ipse? Nervi reducti sunt ad minimum activitatis gradum. Jam agit in eos calor subitus, intense excitans. At ille non relevat activitatem nervorum, sed intensa nimia excitatione paralysat ner-

vos, et tali modo indirecta via cutis functionem resolvit.

Tertius quoque restat casus, scilicet cute calida, sed sicca. Duae nobis obviam eunt rationes, prout interna existit aut externa caloris caussa. Si est interna, sanguine proficiscitur calor, qui celeri motu cutem externam rapide praetervehitur ibique calorem efficit, neque tamen transpirationis quantitatem augere potest. Provenit enim haec rapida circulatio ex interna irritatione, sive haec sit producta captis cibis vel potu, sive affectibus psychicis vel mentalibus. Frigidus aëris cursus cutem aggreditur, in qua sanguis rapide circulatur. Quae circulatio frigoris effectu cohibetur, quin etiam interdum plane opprimitur, et quidem si repente agit frigus, quo partim, ut supra jam dixi, nervi paralysantur vasomotorii, partim lege physicali efficitur, ut tunica arteriarum elastica contrahatur et tali modo, quum lumen arteriae sit coarctatum, circulatio prohibeatur. Jam exstant supra dictae Rheumatismi conditiones. Oritur stasis, tumor, dolor et factus est morbus. Secunda est ratio, si externa est caloris caussa. Tum nervi sunt incitati, et primum quidem cutanei, qui calore sunt invasi. Hos calore irritatos nervos aggreditur aëris cursus. Jam maris turbati videmus imaginem, quod admodum fluctuans, turbine impetuoso ita corripitur, ut superficies modo undosissima subito laevigetur et planetur. Motus, id est activitas, functio

maris, impeditur. Eadem est cutis ejusque nervorum ratio. Incitatio, ut ita dicam, motus nervorum opprimitur, desistit eorum functio et necessario cutis quoque fungi desinit. Sed sicut violenter creatam maris tranquillitatem motus sequitur auctus vel duplicatus, ita in cute quoque vehemens sequitur sanguinis impetus, ut passiva illa cutis quies deleatur. Certamen illud reactionis nervorum passivae cum actione sanguinis impetuosa natura est morbi; Rheumatismus est formatus. Ill. Reil faciliorem reddit rem. Ait [1]) enim: „Quibusdam sub ignotis conditionibus frigus irritabilitatem organorum auget, quin agendi facultatem laedat. Tali modo musculorum, tendinum, ligamentorum auget irritabilitatem, eoque modo gignit Rheumatismum." Quam maxime veneror equidem Reilium, sed veniam mihi det, si non plane perspicua mihi videtur esse res. Etenim hyperaesthesiam tali modo posse provocari et intelligi arbitror, neque vero morbi formam strictam, cui nomen damus Rheumatismo.

At restat aliqua difficultas, quae debet explicari. Dicitur *humidus* esse calor, nec minus *humidum* frigus, quae procreent Rheumatismum. Jam inde concludere licet, magnam exercere humiditatem vim in morbum nascendum. Nam saepissime audies, Rheumatismo aegrotantes homines caussam dare atmosphaerae humidae, vel humido domicilio.

---

[1]) Vid. Reil, Fieberlehre. Tom. I. pag. 87.

Sequitur inde, eos humiditatem putare omnino haud parum agere in formationem rheumatismi. Jam accuratius videamus, quomodo sese habeat res, et num revera humiditati talis sit attribuenda vis. Quaenam est enim in humiditate vis in hominis organismum. Reil dicit[1]) hoc: „atmosphaera humida omnino debilitat partium solidarum tonum, et aequilibritatem tollit virium vitalium omnibus in organis, at praesertim in nervorum systemate." Singulas vero conspiciamus, quae sint apparitiones, calore *humido* procreatae. Therapia usus rem explicare et per analysin finem assequi studebo. Adhibemus enim calorem humidum, aut, quod est idem, humiditatem calidam, si necesse esse credimus, molliri, remitti tensionem aliquam. Quae est vero caloris humidi vis physiologica? Calor per se, si non respicis humiditatem aut siccitatem, auget irritabilitatem, organorum animalium inclinationem amplificat ad processus chemicos, et ubique majorem efficit activitatem[2]). Calor humidus hoc modo agit. Humor locum obtegit, ubi applicatur calor, eoque modo mutuam inter organismum et atmosphaeram exstinguit actionem. Sed tensio, quam vis remittere, effecta est certamine intenso orga-

[1]) Vid. Reil l. c. T. I. pag. 76. Ait quoque: Bei einer feuchten und kalten Luft, in neblichten Herbsten und in Wintern ohne Frost sind gewöhnlich Arzt und Todtengräber am geschäftigsten.

[2]) Vid. Reil l. c.

nismi contra malum internum, aut contra externam atmosphaerae potentiam. Posterior est ratio, quam nos oportet intueri. Humor calidus sicut scutum inter cutem et atmosphaeram sese introducit, quam tali modo retinet, ne ad cutem perveniat, itaque pugnae caussam delet. Jam si nulla adest res, quae provocare et prolongare possit certamen, cessabit illud per se, et remittitur tensio. Num id quadret in Rheumatismi originem? Certe non. Num sic intelligatur subita Rheumatismi formatio? Minime. Debilitat autem, laxat, emollit calor humidus. Docet enim physiologia, calore humido activitatem nervorum motoriorum diminui. Jam quaeritur, num humor, alia enim sub forma non potest applicari calor humidus, ita agat, quia tali forma adhibetur calor, an quia calidus est humor. Certe, quia calidus est humor. Nam est nonnisi portator caloris. Est igitur calor, qui agit, neque vero humor, et adhibemus humorem, quia hoc modo calor optime potest agere, si humori est immersus. Calor igitur *humidus* per se non habet vim in generandum Rheumatismum. [1]) Aliter omnino agit humiditas, sive calida, sive frigida, eamque actionem postea describam.

---

[1]) Aptus est potius calor humidus ad supprimendum Rheumatismum, nam transpirationem procreat, neque vero opprimit. Quin etiam medemur Rheumatismo calore sicco, integumento lanae, bombycis, pulvinis herbariis, pannis laneis.

Jam ad frigus nos vertamus *humidum* et contemplemur, quis sit effectus aëris cursus et humidi et frigidi. Et hic quoque optime rem perspiciemus, si viderimus, quae sit therapeutica ejus actio. Quis est finis, quem volumus assequi, si adhibemus frigus humidum? Fomentamus aqua frigida, ut calorem partis inflammatae, aut in qua sanguis congestionem effecit, imminuamus. Retinemus activitatem nervorum vasomotoriorum, itaque arcemus sanguinem, ne ad partem affluat inflammatam, nec minus reprimimus sanguinem, derivamus. Nam mechanice quoque contrahimus arterias ita, ut coarctato lumine non potius affluere possit sanguis. Hoc modo dolorem nervorum contusorum comminuimus, ac cavemus, ne oriatur exsudatio. Jam quaero equidem, an puro frigore hae aquae actiones possint effici, exempli caussa, glacie? Certe. Num est necessaria humiditas? Non. Est igitur nihil nisi involucrum frigoris. Frigus est remedium quo operamur, et aqua est constituens, ut metaphora utar sumta ex materia medica. Num habet igitur frigus *humidum* per se vim in generandum Rheumatismum? Minime.

Sed alia est res, si loquimur de effectu generali externi, id est atmosphaerici humoris. Certe magna est ejus potentia. Una est principalium conditionum, sub quibus bene agit organismus humanus et servat aequilibritatem, ut imperturbate transpiret et perspiret. Transpiratio est secretio sudoris, et perspirationem insensibilem dico et guttabilem evaporatio-

nem. Auctores quidam et nunc quidem plurimi duas has res in unam conjungunt sententiam. Jam atmosphaerae humiditas magnam exercet et quantitativam potentiam in secernendum sudorem; impedit eum fieri vaporem, itaque quantitatem ejus augere videtur, quod intelligere potes, etiamsi non adhibes experimenta exacta, si comparas mente sudoris quantitatem, quae eadem temperatura in sicca profluit atmosphaera cum ea, quae emanat in atmosphaera humida. At secretio per cutem, quae nonnisi vaporis fieri potest forma, eodem modo deminuitur, quo in atmosphaera aquae copia augetur, et plane desinit, si atmosphaera elementis evaporationis cutaneae plane est satiata [1]). Excutiamus haec paullo accuratius, et colligamus, quae necessario inde sequantur. Si est satiata atmosphaera humiditate, non amplius recipere potest humiditatem; si igitur evaporatur etiam in aërem humiditas, statim praecipitatur et haec praecipitata non admittit, aliam quoque evaporari humiditatem. Transferamus haec in organismum humanum. Simus in atmosphaera humiditate satiata. Jam sudor, qui nobis ignaris vaporis forma aufugiat, praecipitatur et tali modo observatur, quam ob rem glandulae sudoriferae plus solito sudoris secernere nobis videntur humida atmosphaera, quam sicca. At sudor praecipitatus non permittit, novum promanare sudorem, qui in corpus reprimitur. Sic

[1]) Vid. Henle, Patholog. rational. T. II. p. 236.

restat in corpore substantia, quam, ut sanus sit homo, secerni necesse est. Sin non secernitur sudor, turbata est valetudo, et adest principium morbi. At quidnam facit ille sudor aut quid fit, qui jam erat formatus, quidnam ille, qui perpetuo e glandulis cutaneis secernitur? In glandulas reprimitur, et sanguine resorbetur. Sanguis, sudore satiatus, plenus, cujus elementa insuper in sanguine reperiuntur, ad cor revenit. Hoc vero eo uti non potest et repulsat sanguinem alienatum, sicut hostem invadentem. Emittit copias et recentiores quidem et validiores, ut repellant hostem, et certamen inde ortum vitale, semper jactatione adjuncta virium, dispositionem efficit morbi nostri. Jam praeterlabi potest haud parvum tempus, donec certamen illud tantam assequatur intensitatem, ut mente percipiatur, quamvis interea permultum amittitur virium. Eo modo fit, ut homines, qui domicilia incolunt humida, certamine organismi cum humiditate diu continuato, adeo emacescant, enerventur, faciei color lividus fiat et caeruleus, quod quidem fit eo, quod praeponderat sanguis venosus prae arterioso. Nam credo equidem, sanguinem venosum esse secernentem, dum sanguine arterioso nutritur corpus. Jam si tandem certamen illud mente percipitur, id est, si nervorum systema quoque afficitur, dolorem sentimus et tum formatus est morbus. Hunc intelligi potest, humiditatem, etiam sine subita temperaturae mutatione quandam habere potentiam in hominum

valetudinem. Sin accedit huic morbosae corporis valetudini subita temperaturae mutatio, dolores percipimus vexantes, torquentes, palpitantes, qui nuntiant adesse Rheumatismum. Simul autem una cum subito aëris cursu, qui efficit temperaturae mutationem, humiditas agit, etiamsi paulum, ut fiat morbus, nam pro tempore sudoris secretionem et evaporationem retinet, si non supprimit.

Jam ad tertiam venio caussam, qua Rheumatismus evolvi dicitur, ad electricitatem. Sunt enim, qui contendant, paralysin nervorum cutaneorum frigore affectorum efficere mancam et vitiosam electricitatis animalis formationem, unde sequi necessario electricitatis cumulationem in telis, quae substratae sunt cutis superficiei (in musculis, tendinibus, articulis, tela cellulosa etc. etc.) [1]. Quam cumulationem percipi forma doloris rheumatici, saepeque finiri aquae formatione (sicut pluvia fit exaequata atmosphaerae electricitate). Si hoc ita esset, nunquam Aethiops aegrotaret Rheumatismo. Nam pigmentum, quod est substratum cuti, carboneo formatur. At carboneum optime ducit electricitatem, ita ut omnis electricitas cutis cum atmosphaerica bene exaequetur, et hoc modo nunquam oriri possit Rheumatismus. Sed et ipsi Aethiopes aegrotant Rheumatismo.

Verum, paullo accuratius consideremus electricitatis naturam et praesertim cutaneae. Quomodo

---

[1]) Vid. Canstatt, Pathol. Tom. II. 2. pag. 623.

nascitur electricitas? Caussa principalis omnis electricitatis est contrarium. Si duae oppositae res in reactionem feruntur, nascitur electricitas. Si imbuis metallum aliquod acido cuidam, iis locis, ubi metallum tangit acidum, processus exoritur chemicus, i. e. galvanicus. Omnibus eis partibus, quae non tanguntur acido, in metallo magnetismus reperitur et electricitas, quod facile demonstrari potest, si adhibentur globuli sambuci medulla formati. Substantiae, quae hic oppositae sunt, metallum sunt et acidum. Eo, quod conjunguntur, processus exoritur exaequationis et est quidem ille processus chemico-electricus. Ubi communicant calida cum frigidis, solida cum liquidis, semper adest electricus processus vel majoris vel minoris intensitatis. Quid mirum, quum in una eademque parte metalli electricitatem potes procreare, ubi varios locos varie calefacis? Finis processus est exaequatio. Sed nihil hic prodest, hanc exaequationem in metallo oxydationem esse et solutionem in acido, in corpore humano adauctam substantiarum mutationem manifestare; rem ipsam tractare debemus. Qui his nititur fundamentis, non magnam reperiet difficultatem, electricitatis defensurus effectum in formando Rheumatismo. Nusquam major exstat substantiarum mutatio quam in cute, propter infinitam multitudinem et retium mirabilium et vasorum capillarium, quae, testibus Liebig et Joh. Schulz, perpetuo resolvuntur, resorbentur, denuo formantur. Jam sic di-

cunt. Magna existit in cute et electrica exaequatio, itaque perpetuo nova oritur electrica vis, quum exaequatione substantiarum cutis inter se, tum cutis exaequatione cum atmosphaera. Jam prout plures sunt solidae aut liquidae partes, plus aut minus adest positivae vel negativae electricitatis. Illud plus aut minus exaequatur cum atmosphaera, quae contrarii suscipit partes. Quae quum perturbetur exaequatio, reactio exoritur oppositae partis, quae et ipsa partem praevalentem adaequare vult, quo modo fit Rheumatismus. Sunt qui hoc nisi principio Rheumatismo derivatoribus vel exaequatoribus mederi studerent. Applicabant praeparata magnetica, ad cutem, ut exaequationem electricitatis cutaneae praevalentis et superfluae efficerent. Jam vero videamus, quomodo se habeat res. Adesse mihi videtur logicum in argumentatione vitium. Concedo, recta esse praemissa et theses, sed conclusio mihi falsa esse videtur. Recte statuitur, in cute formari electricam vim, quae cum atmosphaerae electricitate exaequari studet. Sed, si in cute reperitur aliqua positivae vel, si vis, negativae electricitatis quantitas, non est, cur non possit exaequari cum atmosphaerica. Certe superfluit aër spatio et superficie, ut parvam illam, quae in corpore formetur, multitudinem adaequet. Et si alia omnia corpora possunt bene exaequari, non video, cur non possit et nostrum corpus? Plane non possum intelligere argumentum logicum. Nam neque est electricitas

morbus, neque ullum efficit. Reil ait [1]): „auget „electrica vis solidarum et liquidarum partium extensionis vim. Conservat has liquidas easque tali modo „extensas, ut sano corpori rotunditas praebeatur completa." Sed non inest huic caussa morborum. Sequi posset hypertrophia, nunquam rheumatismus. Jam negare non possum, sedem principalem electricae vis esse nervos, sed intelligere nequeo, quid sit electrica nervorum tensio, non percipio notionem, si verbum illud audio. Quae dicuntur de electrica nervorum tensione, de electrica, centripetali radiatione (per reflexum) ad organa nervorum systematis centralia, ad cerebrum et medullam spinalem, non possum assequi, neque credo esse probabilia. At fuit tempus, quo omnia, quae non per se et aliis demonstrari poterant caussis, electricae vi tribuebantur. Quod quidem et hic haud difficile videbatur demonstratu. Dicebant enim, Rheumatismum effici manca exaequatione electricitatis atmosphaericae cum cutanea et oriri dolores, quod nervi tensione illa offensos se sentiant. Plane supervacanea est explicatio illa ampla et ducta e longinquo, quum simplex et physicalis et physiologica explicatio satis rem interpretetur. Aliam quoque afferam caussam. Num satis certe demonstratum, re vera talem fieri exaequationem? Quis est auctor, qui experimentis demonstraverit, electricam cutis tensionem cum atmosphaera aequilibrita-

[1]) l. c.

tem petere? Quis est, qui experimenta de eo instituerit, an cutanea electricitate semper opposita sit atmosphaericae? Malim credere, morbum adesse aut fieri, ubi ambae electricitates aequales sunt, aut positivae ambae aut negativae. Res enim, quarum non eadem est electricitas, sese attrahunt; itaque, si ita est, semper exaequatio fiet, quae quidem cum jucunditate quadam corporis conjuncta esse potest, at nunquam cum morbo. Sed aequales se repulsant poli; hoc in casu igitur inimicitia oritur inter atmosphaeram et cutem. Qui haec contendit eisque nititur, facile originem Rheumatismi ab electricitate deducere potest, et dicere, immodice cumulata electrica vi stasin oriri posse in telis et fibrosis et serosis. Sed aliud etiam exstat momentum. Quaenam sunt actiones, quae positivae favent electricitati formandae, et quae contra, quibus negativa efficitur electrica vis. Nonne illae actiones, si possim detegere, proximae sunt morbi caussae? Certe. Nam electricitas per se nunquam principalis credi potest morbi caussa. Quae quum actiones nobis plane sint ignotae, tota explicatio nititur hypothesi, et hanc ob rem non amplius sola recta et fide digna esse potest. Omittamus igitur electricitatem contentique simus eo, quod praebet nobis physiologia.

Jam indagante animo chemici alium, etiam excogitarunt Rheumatismi originis modum. Dicunt proficisci eum e chemia et morbum esse organico-chemicum. Si est morbus chemicus, tum substan-

tiarum morbus est mutationis, tum haec aegrotat. Quae aegrotatio eo intelligitur, quod substantiae, quae certo quodam organo secerni debeant, non eo, sed alio quodam secernuntur. Substantiae enim, quae a cute sudoris forma secernantur, in morbo per urinam et spiritum eliminantur. Insunt in sudore

A. substantiae, quibus inest nitrogenium
- Ammonium carbonicum
- „ muriaticum
- „ lacticum

B. salia, quorum basis est natrium
- Natron carbonicum
- „ phosphoricum
- „ chloratum
- „ sulfuricum
- „ lacticum

C. Acidum carbonicum

D. „ lacticum

E. Ferrum oxydatum

F. Osmazoma.

Plurimae harum substantiarum acidum lacticum et salia ammoniacalia sunt, quae ubique reperiuntur, si exquiritur sudor, quod jam intelligi potest, si memineris acidi et ammoniacalis odoris, qui inest sudori. Halitus provenit per osmazoma. Si bona est valetudo, substantiae illae et cute et organis uropoëticis, i. e. renibus secernuntur. Abundant illae substantiae azoto. Systema uropoëticon praecipuum est secretionis organon, quo eliminantur nitrogenium

et hydrogenium. Ammonium est conjunctio unius duplicis atomi nitrogenii cum tribus duplicibus atomis hydrogenii, $N\ H^3$. Azotum igitur et hydrogenium praecipue per urinam et sudorem e corpore emoventur. Pulmonibus carbogenium plurimum ex corpore eliminatur. Acidum carbonicum, quod exhalamus, partim conjunctione oritur carbogenii supervacanei cum inspirato oxygenio, partim jam substantiarum transformatione effecta in sanguine adest. Quae duo magna corporis systemata humani adjuvantur systemate organorum cutaneorum. Acidum lacticum et salia ammoniacalia in sudore insunt soluta, et hac via et ipsa ex corpore eliminantur; nec minus acidum carbonicum in sudore demonstrari potest. Nam oritur ibi acidum carbonicum, quia carbogenium, parcissime distributum et praecipitatum attingit atmosphaerae oxygenium; partim jam formatum est acidum et hac via emanat. Cute cetera systemata adjuvari necesse est. Si quidem opprimitur cutis functio, et respirandi systema et uropoëticum oportet duplicare functionem, quia non amplius cute adjuvantur. Si duo cutis trientes combustione functionem amiserunt, suffocatione moritur aegrotus. Jam, quum non amplius adjuventur systemata illa, necesse est augeri eorum activitatem. Inde provenit major urinae copia, inde color ejus ruber, inde aspectus crudus, inde sedimentum, quod semper adest, et continet salia supra nominata. Inde venit major respirandi difficultas et labor, quod

solo respirandi systemate oportet collectum vinci carbogenium. Nam equidem hucusque semper vidi homines, qui Rheumatismo aegrotabant, difficilius et saepius respiravisse quam cetero. Haec sunt facta certa et nota; neque vero ex eis causam chemicam (ut ita dicam, intoxicantem) Rheumatismi derivare potes. Dicitur materiarum transformatio vel potius eliminatio esse mutata. Exoriri morbum, quia nimium insit et carbogenii et azoti et hydrogenii in corpore. Bene, sed unde venit haec trium illarum substantiarum abundantia? Hic haeret aqua. Num viri chemici a cibis captis derivaturi sint? Tum edendo perceptus est Rheumatismus et est morbus substantialis. Tum ex stomacho enascitur Rheumatismus, neque ex cute; tum intus provehitur neque extrinsecus. Nemo erit tam stupidus, qui credat, complexum talium phaenomenorum, qualia praebet rheumatismus, gastricae esse originis. Nascitur enim Rheumatismus caussis externis, dependet ex atmosphaerae mutatione. Quod attinet arthritidem, talem admittam explicationem, neque vero unquam in Rheumatismo. Complicatus esse potest Rheumatismus cum arthritide, tum autem non merus est Rheumatismus, et purum hic tractamus Rheumatismum. Num dynamicis oritur caussis? Dynamici morbi intus oriuntur, neque vero extrinsecus. Num Rheumatismum omnino vis comparare cum morbis dynamicis, sicut sunt Phthisis, Scrofulosis, Scorbutus, Carcinoma et cetera? Certe non. An

ex telluricis causis? Nemo credet. An forte mutata atmosphaerae mixtura? Non possunt aliud quoddam sentire viri chemici, si hoc contendunt, nisi quantitatem azoti et carbogenii auctam esse aut imminutam in atmosphaera. Quomodo fit talis mutatio? Nescio, neque unquam audivi quidquam hac de re. Et quomodo talis mutata atmosphaera cutis activitatem opprimit, nam certe tali modo semper incipit omnis Rheumatismus. Via et methodo hypotheticis perbene omnia demonstrari possunt, sed nunquam simplici, vera, naturae adaptata. Etiamsi concedo, azoti et carbogenii atque hydrogenii quantitatem in urina et spiritu esse adauctam, itaque in sanguine quoque: tamen insisto in opinione, non causam id esse, sed effectum. Non oritur talis adauctio, nisi materiae illae non amplius cute secernuntur; nec amplius secernuntur, quia oppressa est cutis actio; est vero actio oppressa, aut plane sublata subita temperaturae mutatione. Adest certe chemica conversio, sed non caussa est rheumatismi, verum productum. At nondum rem finivimus. Inspiciamus quoque producta Rheumatismi. Formantur enim Rheumatismi pathica producta combinationibus fibrini, albuminis, caseini cum acido urico vel lactico. Item deteguntur in urina parva, rubra crystalla, producta et combinationes acidi urici. Efficitur igitur Rheumatismo adaucta acidi urici secretio. Sine dubio nititur haec adauctio chemica permutatione sanguinis, id est, quod multae

substantiae, quibus inest azotum, in sanguine circulantur, quae postea urina eliminantur. Alias sudore quoque emoverentur, nam urina et sudor vicissim sese adjuvant. Si refrigescis, id est, si cutis actionem remittis, statim pressum senties mingendi et invicem, si difficile reddis urinam, neque adest hydrops, plus senties scatere sudoris. Haud raro quidem accidit, ut aegroti, qui Rheumatismo laborant permultum et persaepe sudent, sed sudorem proferunt profusum, torpidum, aquosum, neque normalem, calidum, halantem. Chemicam adesse caussam hujus magnae acidi urici secretionis omnes concedent, sed quis est fons? Quomodo tanta substantiarum quantitas ammoniacalium vel quibus omnino inest nitrogenium in sanguinem perveniat? Primaria ne est, an secundaria? Num causa est, an productum Rheumatismi? Est secundaria et effecta Rheumatismo. Opprimitur cutis functio, i. e. non amplius continet sudor materias excernendas [1]). Retinentur enim eae materiae et in sanguinem perveniunt. Ibi transformantur in acidum uricum indeque nascitur major acidi urici quantitas, quae in urina reperitur. Jam contrariam quoque sequamur viam. Adest acidum uricum in sanguine et proficiscuntur ex eo omnia, quae in Rheumatismo videmus. Sed quomodo acidum uricum nervorum prolicere queat do-

---

[1]) Imo tam acidus fit et vorax sudor, ut saepe oriatur miliaria.

lores? Certe concrementa et lapides formare potest, neque vero unquam adeo irritare nervos, ut dolores illi inde exoriantur vehementissimi, qui summum sunt Rheumatismi momentum. Nunquam acidum uricum anaesthesiam eam interdum accidentem, provocare potest. Certe mirabilis sit materia, quae non solum hyperaesthesiam, sed etiam anaesthesiam possit efficere, res ex diametro sibi oppositas. Tot hic occurrimus et tantis contradictionibus, ut sine damno omittere possimus hanc explicationem, et attribuere chemiae secundariam, neque vero unquam primarium hoc in morbo effectum.

CAP. III.

De morbi sede.

Jam ad sedem venio Rheumatismi. Quae sunt localia rheumatismi signa et ubi videntur. Sunt rubor, tumor, dolor et adauctus calor functioque laesa. Tum in cute versantur, tum in musculis, tum in fibrosis, tum in serosis animadvertuntur telis. Rarissime cutem occupant. Quae vero sit caussa, cur refrigeratio morbum efficiat modo hujus, modo illius membranae, modo unius, modo complurium partium, cur modo stasis induat formam, modo neuroseos, nondum scientia nostra assecuta est, neque plus quam conjectura, nobis patet. Si tota cutis aut major ejus pars damno afficitur, insequens anomala reactio extendere se potest per majus organorum spatium. Sequitur saepe Rheu-

matismus articularis generalis, aut paralysis rheumatica, febris catarrhalis, rheumatica etc. Si parva tantum affecta est cutis pars, restat reflexus anomalus persaepe in una parte; sic ut exempla afferam, ut faciei refrigerationem paralysis nervi facialis, aut odontalgia rheumatica, aut ophthalmia vel catarrhalis, vel rheumatica sequi possunt. Ut fixentur morbi, exorti ex refrigeratione, nihil majoris est momenti, ut supra jam dixi, quam debilitas aut irritabilitas morbosa singulorum quorumdam organorum. His in partibus minoris resistentiae quaevis insolita atmosphaerae potentiarum actio in organismum, ut ita dicam, resonat. Nomen datur igitur iis ab aegrotis barometris, saepeque tempestatis mutationes, quamvis haud statim imminentes, ex abnormibus praedicunt sensibus, quos in his percipiunt partibus infirmioribus.

CAP. IV.

Pathologia generalis.

Si consideramus, quem teneat morbus in pathologia locum, maximam videmus inflammationis similitudinem. Symptomata inflammationis essentialia sunt tumor, rubor, dolor, calor adauctus. Jam in Rheumatismo quoque invenimus eadem signa, tumorem, dolorem, temperaturam auctam et plerumque, sicut in Rheumatismo acuto, ruborem. Symptomata igitur sunt eadem, sed diversa est caussa. Omnem Rheumatismum pro inflammatione

habere licet, et praebet nobis Rheumatismus hac ratione triplicem formam et modum. Primo acutus esse potest. Tum vero circa octo durat dies. Talis accidit forma, si organismi vires hostilem atmosphaerae potentiam adaequant. Certamen tum acerrimum est, maxime tumultuosum et cito dijudicatur aut organismi victoria, bona crisi et cita sanatione, aut organismi strage. Exitus tum aut letalis est, aut transit morbi modus acutus in chronicum. Tum subacutam induere potest morbus formam, durans circa viginti unius vel viginti quatuor dierum spatium. Hoc in casu major est hostis potentia, et organismus sensim sensimque in proelium inducit copias, qua re certamen minoris quidem est intensitatis, attamen longius explet temporis spatium. Nunc vero discrimen fieri solet *διὰ λύσιν*. *Tertia* forma est chronica. Quae quidem comparari potest forma certamini, quo copiae decursibus defatigantur quo modo hic, modo illic proelium exoritur, prout Rheumatismus modo hanc, modo illam obtinet partem. Quo in casu nisi sanatur aegrotus, talis fit exitus, ut morbus sempiternus fiat, perdurans, et corpus mutetur in barometron, quod organismum de imminentibus periculis praemonet, eique in tempus proximum recentem externi damni impetum praedicit.

Aliud quoque obtueri nos debemus momentum. Nam morbis rheumaticis propria est medullae spinalis irritabilitas quae permagnum assecuta est gra-

dum, ita ut vel minores peripherici sensitivique affectus majore intensitate in organis centralibus, in cerebro et medulla spinali percipiantur. Reflexus actio, quae inest nervorum systemati, quam maxime floret, ita ut vel exiguae nervorum cutaneorum sensitivorum affectiones in cerebro intensi doloris sensum efficiant. Jam propter adauctam reflectentium motionum activitatem vehemens sequitur impetus in nervis vasomotoriis, nam exstat vicissitudo inter cerebrum sensitivum et medullam spinalem, quae omnino praesidet motioni. Haec cutanea hyperaesthesia eo potest pervenire, ut aegroti majorem percipiant dolorem, si leviter premis cutem, quam si vehementer. Saepe quoque aegroti et ipsi sciunt hanc hyperaesthesiam, sicut in me ipso observavi. Quae facultas, facillime percipiendi dolorem, et dolor ipse tam constans sunt et certum symptoma omnium rheumaticorum morborum, ut perbene medicus eo adigi possit, ut morbi formam vel morbum ipsum, nervosam esse inflammationem contendat. Haec est caussa, quod medici anglici Rheumatismo magnis narcoticorum dosibus medentur et scilicet in casibus acutis, minorem habent rationem inflammatoriae febris, qua affectum est vasorum systema. Praeterea animadvertendum, Rheumatismum vix unquam cutem morbi sedem eligere, excepto illo casu, si formam induit anaesthesiae rheumaticae. Sed propter reflexus actionem et propter sympathias late dispersas, quas per totum nervorum systema sequi pos-

sumus, facile Rheumatismus adducitur ad eas partes, quas afficere amat, i. e. ad telas fibrosas et serosas. Itaque aliquam rheumaticam inflammationem nego ibi primo incepisse, ubi tunc existit, sed orta est ibi propter disponentem quandam caussam, congestionem fortuitam, aut aliam quamque caussam, quae attrahit eo Rheumatismum per membranae naturam et per reflexum inter nervos cutaneos et intestinales.

CAP. V.

Pathologia specialis.

Jam accuratius perlustremus morbi symptomata et pertractemus decursum et exitum. Praetermittamus hic duplicem nascendi modum morbi et consideremus frequentissimum casum, quum Rheumatismus ortus est, quia cutis activitas refrigeratione est oppressa.

A. Forma acuta.

Morbum adesse primum quidem sentimus per dolorem, qui vespere incidit, Rheumatismo est proprius, vexat, cruciat, scindit, torquet, subita invehit intensitate et mox evanescit. Simulac adest dolor, mutatur pulsus. Fit durus, tensus, plenus, frequens, permagnus, interdum fortis et ut uno dicam verbo, pulsus fit inflammatorius. Jam venit febris, frigore et calore vicissim corripitur aegrotus.

Frigus formam induit horripilationis. Sentit aegrotus sanguinem congeri ad caput, ad primum nervorum systematis centrale organon, ad cerebrum, nam praecipue nervosus est morbus. Sentit aegrotus caput esse occupatum, aurium strepitum; tela mucosa oris et nasi siccescit et fit rimosa. Sentit aegrotus artus rumpi et convelli, jactatur per totam noctem, neque somnum capere potest, quin etiam anxietate pectoris vexatur. Quae angustia praecordialis efficitur endocarditide, quae, mirabile dictu, fere nunquam in Rheumatismo acuto desideratur. Auscultatione percipitur strepitus ille follicularis, qui proprius est huic morbo. Urina subrubra est, flammea, cruda videtur, nam magna ei inest salium cristallisantium quantitas. Quae quum symptomata per complures horas, quin etiam per majorem noctis partem duraverint, mane paullatim desinunt, sudor exoritur, et somnum exonerans restaurat vires defatigatas. Urina sedimentum habet, quod dicunt lateritium, cui insunt crystalla rubra acidi urici, et kalium, calcium, natrium juncta cum acido urico. Interdiu satis bene agunt aegroti, sed vespere eadem nascuntur symptomata, quomodo rhythmici aliquid nanciscitur morbus. Si nihil fit pro sanando morbo, exitus aut transitus est in formam chronicam, aut crisis per sudorem vel urinam, aut lysis, aut exsudatio, aut mors. Si formatur crisis, organismi vis vincit, et immenso labore transpirationem efficit, qua sudor hucusque retentus propellitur, cutis

activitas jura amissa recuperat et aequilibritas restituitur. Aut fit crisis per urinam. Tum copiosum oritur in copiosa urina sedimentum, quod continet substantias eas, quae transpiratione eliminari debeant, at quae violenta cutis actionis suppressione in corpore retentae erant et nunc diuresi copiosa secernuntur. Lysis dicitur insensibilis, paullatim accedens exaequatio activorum cum passivis, insensibilis eliminatio materiarum superfluarum, insensibilis restauratio debilitatae nervorum activitatis. Sed est lysis, quae maxime praedisponit corpus ad recidivas, et maximam plurimamque iis offert occasionem. Si fiunt exsudata, finem quoque capit inflammatio, nam licet talem habere rheumatismum. Indicant exsudata illa, sanguinem esse purgatum neque amplius continere materias istas peccantes, quae jam sunt praecipitatae. Si enim accuratius ea inspexeris invenies conjunctiones fibrini vel albuminis cum salibus uricis. Quae salia urica alio tempore transpiratione et perspiratione e corpore eliminantur, sed nunc ex sanguine praecipitantur juncta cum elementis organicis. Reperiuntur haec exsudata in tela cellulosa, in membranis synovialibus, in musculis, aut ubi localis exstiterat morbi affectio. Simul ac exorta est exsudatio, quae semper est plastica, aut serosa neque vero unquam purulenta, sine dubio rheumatismi morbus est finitus, sed caussam praebere possunt exsudata novis morbis, contracturis, adhaesionibus, aliis.

Letalis exitus vario modo adduci potest. Morbus nimirum metastasin facere potest, quo quam maximam habet inclinationem, et relinquens partes telasque corporis humani, quae sunt minoris momenti, aggreditur organa, quae vitae majoris sunt momenti, pulmones, cor, cerebrum. Metastasis, cui saepissime occurrimus, est in pleuram, quam sequitur vehemens pleuritis, exsudatio, adhaesio, suffocatio. Aut longo temporis spatio et vehemente certamine inter vasorum et nervorum systema, adeo debilitantur aegroti vires, ut, quum sua ope non amplius possit organismus continuare certamen, moriatur virium consumtione. Aut exoritur ad pulmones congestio, hepatisatio, qua conjuncta est difficultas respirandi et tandem paralysis nervi vagi. Aut fit congestio sanguinis in encephalum, exsudatio in membranas vel cavitates cerebri, quacum juncta est deletio cerebralis activitatis. His duobus in casibus letalis exitus non potest vitari. Attamen rarissimum esse letalem exitum, non praetereundum.

B. Forma chronica.

In chronica forma statim videmus magnam differentiam et quantitatis et qualitatis in symptomatibus. Pulsus longe non attingit gradum, quem in acuto morbo cernimus. Dolores quoque non tam acerbi sunt. Magna quoque exacerbatio eamque sequens remissio horis vespertinis et nocturnis mi-

nus est visibilis. Pro eo perpetuam, exiguam crisium formationem observare possumus. Urina manet sedimentosa, saepe sudant aegroti, quamvis parvam proferant quantitatem, et fere totum per diem lecto incumbent, quia valde exhaustos se sentiunt. Perpetuo dolore vexantur nervoso, non fixo, tractante, saltante. Si nihil fit pro sanando morbo, fere nunquam discernitur morbus et dolores paullatim evanescunt. Sed simulac levissimus ingreditur aëris cursus, simulac aliquantum mutatur temperatura aut tempestas, denuo oriuntur dolores. Exstant homines, quorum corpus certum est barometrum, nam dolores rheumatici ingredientes accurate iis imminentem tempestatis immutationem praesagiunt. Sed et alius fit interdum exitus, scilicet contractura musculorum vel paralysis vel relaxatio. Ignoto et plane mirabili modo paralysis musculos extensores aggredi solet, dum contractura flexores afficiuntur.

CAP. VI.

Diagnosis.

Jam quum novimus symptomata, quae per intervallum morbi rheumatici videri possint, haud magnae nobis erit difficultatis, momenta detegere decernentia, quae facultatem nobis praebent, dignoscendi Rheumatismi et dijudicandi ab aliis morbis. Varii sunt morbi, qui pro eo possint haberi. Et primum quidem occurrunt nobis neuroses et

neuralgiae. At eorum tantum casuum rationem hic debemus habere, qui sponte sunt exorti; nam persaepe aut Rheumatismus ipse caussa est talium morborum, aut nervorum systematis vi in eos modificatus est et immutatus metaschemate quodam. Neuroses autem et neuralgiae non praebent rhythmicum illum decursum, qui in Rheumatismo obvius. Dum in Rheumatismo intermittente cursu morbi symptomata quoque vespera oriuntur et mane magis magisque remittuntur, in neurosibus tria videmus stadia, incrementi, acmes, decrementi. Aut si non talem habent decursum, variis diei horis vel noctis, aggrediuntur aegrotum morbi symptomata, dolor etc. Pulsus in neuralgiis spasmodicus est, parvus, durus, tardus; in rheumatismo magnus, plenus, frequens, mollis, undulatus. In neurosibus pellucida est urina neque praecipitat sedimentum. In Rheumatismo e fusco rubra est et sedimentum format lateritium. Neuroses locales esse solent, dum Rheumatismus magnam peragrat superficiem. Rheumatismus articularis chronicus confundi potest cum arthritide. Primum vero arthritis morbus est constitutionalis, deinde autem cum ea majora conjunguntur gastrica symptomata, obtegitur lingua, acidum formatur in stomacho, indigestio oritur et dyspepsia. Omnia haec symptomata non adsunt in Rheumatismo. Permisceri porro potest Rheumatismus cum inflammatione traumatica; sed statim decernit caussa proxima.

CAP. VII.

Therapia.

Aggrediar therapiam rheumatismi et omnia, quae ei curando adhibita et laudata sunt, remedia breviter perlustrabo. Neque vero, excepta cholera asiatica, existit ullus morbus, cui sanando tot et tam varia prolata laudataque sint medicamenta, neque existit fere ullum medicamentum in tota materia medica, quod non sit adhibitum hoc in morbo perplexo.

Primum quidem locum occupaverunt *mercurialia* et *antimonialia.* Non dubitabant medici principatum iis concedere, quippe quum magnum inde exspectarent emolumentum, sicut purgationem sanguinis, succorum alterationem, exsudatorum resorptionem, neque minus fugari ex sanguine acrimonias. Optima haec sunt, at non reperiunt locum in Rheumatismo. Non dubito equidem quin magnum efficiant emolumentum remedia illa in aliis morbis propter excelsam vim in systema lymphaticum, sed hic non sunt apta. Solum hoc ex ordine remedium, quod est idoneum ad sanandum Rheumatismum, est tartarus stibiatus, et primum quidem propter facultatem purgandarum digestionis viarum, deinde propter eximiam vim revulsivam, quam in totum exercet nervorum systema, praesertim, ubi emetici forma adhibetur.

Jam sunt medici, qui maxime probent *sanguinis detractionem universam.* Si adest adhuc stasis inflammatoria, si febris adhuc synochae obtinet modum, si imminent ad altiora organa congestiones, ad cerebrum, pulmones, cor, tum sunt illae detractiones indicatae, et licet detrahere X — XII ℥, sine damno; sed si non adest talis indicatio, caute eas applicari necesse est, ne mutetur morbus in chronicum.

Deinde abusi sunt medici *sanguinis detractionibus localibus.* Hae enim maxime sunt idoneae ad secandum, delendum loco quodam dolorem, sed simul aptissimae sunt ad eliciendam metastasin. Optimae sunt, si stasis rheumatica mutata est in inflammationem, quae phlegmones induit formam, sed, si non ita est, vitandae sunt. Aliud quoque afferunt damnum; nam hirudines, aut cucurbitulae, qua forma applicari solent, irritatione facile efficiunt inflammationem erysipelatosam, quod sane est vitandum, nam non imminuitur eo dolor, sed potius augetur.

Jam ad remedium accedo, quod magnam adeptum est contra Rheumatismum famam. Est *colchicum autumnale* ejusque praeparata. Nondum concordes sunt medici de modo, quo agat in corpus humanum. Nonnulli, ut Cel. Chelius, contendunt, augeri inde acidum uricum in urina. Ill. Schoenlein effici inde ait typum intermittentem affectionis localis, alii actionem et potentiam e narcoticis, quae insint ei, elementis deducunt; Eisenmann vult effici eo

tonum antirrheumaticum in capillaritate universa. Intelligi potest ex diversitate opinionum, quam hac de re habent multi et ii praeclarissimi medici, effectum physiologicum hujus remedii neque esse constantem, neque omnibus notum. Equidem colchici vim praeclarissimam partim naturae ejus, ut acri drastico et diuretico, praesertim autem principio ejusdem attribuo narcotico.

Therapia quoque chemia usa est. Nam relata sunt inter medicamenta antirrheumatica *alkalia*. Non deerant enim medici, qui crederent, abundare sanguinem et urinam acido urico et lactico. Jam persuasum habentes, remedia illa eundem habere effectum in sanguinem, quem in corpora anorganica, ubi experimenta fiebant, his remediis acida praevalentia neutralisare voluerunt. Non puto necesse, argumentis demonstrem, haec esse hypothetica. Nam revera nihil prosunt hoc in morbo alkalia. Solum excipi potest kali nitricum, quod perbene in Rheumatismo acuto intenso impendi potest; nam hoc in casu aptissimum est ad mitigandam febrem inflammatoriam.

Jodum quoque est applicatum in Rheumatismo. Hoc autem remedium est idoneum in morbis Rheumatismi consecutivis, scilicet si plastica vel serosa exsudata sunt formata, quorum divisio et resorptio interno usu kali hydrojodici aut externa inunctione tincturae jodi efficienda est. Aptissimum est igitur

jodum in rheumatismo chronico. *Phosphorus* quoque laudatur, at est ejus eadem ac jodi ratio.

Jam magnus reliquus est ordo medicamentorum, quae ob specificam eorum in systema nervosum vim adhibere possunt et semper quidem fausto eventu; sunt remedia *narcotica*. Non est necesse, me diutius apud ea versari, sed unum eorum laudare possum remedium, quod propter endocarditidem, quae magis minusve adest, est aptissimum, id est digitalis purpurea.

Jam quum proprius sit nervorum systemati typus intermittens, et quum morbus ante omnia sit nervosus, *china* quoque est adhibita, quamvis eventu non faustissimo. Nuper medici gallici dosibus periculosis, drachmarum unius vel duarum illam applicaverunt. Sed talem dosin facile mors sequi potest. Neque tamen omnino rejiciendum est remedium.

Restat remedium, cui perbene remedii universalis dari potest nomen, dico *oleum jecoris aselli*. Attamen laudandum est medicamentum illud praesertim in Rheumatismo chronico. Datur quotidie bis vel quater et quidem ℥ IV pro dosi. Ut corrigatur sapor, additur quaevis tinctura aromatica.

Breviter quaedam addam medicamenta, quorum effectus salutaris in Rheumatismum laudatur. Sunt *sulphuris* praeparata, praesertim *ammonium* et *carboneum sulfurata*, *guajacum*, *rhododendron chry-*

santhrum, oleum terebinthinae, camphora, chlorum, arnica, aurum, decoctum lignorum. Ab Cel. Wolff laudatur remedium: *rhus toxicodendron*, quo sequente forma utitur.

Rp. Folior. Rhois toxicodendri gr. v
Elaeosacch. Juniperi ℈ß

M. f. pulv. dentur tales doses No. XII. DS. bis quotidie pulverem. Adjungitur huic:

Rp. Tincturae Capsici annui ʒj
Spirit. Vini rectificatiss. ℥iij

MDS. pro infrictione, quae posterior mixtura inungitur secundum nervi decursum. Commendat enim Cel. Wolff remedium in paralysi nervi cujusdam rheumatica.

Tempore recentissimo detectum est medicamentum, quod effectum praeclarum in Rheumatismum et acutum et chronicum constanter demonstravit. Est *cannabis indica*, quae secundum Hamilton, Roxburgh aliosque excellentes viros botanicae peritos, eadem est ac cannabis sativa, quae apud nos quoque invenitur. Adhibetur sub extracti resinosi vel tincturae forma. Cel. Wolff haec ait:

A. Rheumatismus acutus. Duo erant morbi casus, in quibus non suffecerant cura antiphlogistica et applicatio pulveris Doweri et antimonialium ad efficiendum meliorem aegrotorum statum. Ambo

igitur receperunt extracti resinosi cannabis indicae gr. j. Apud priorem duabus horis praeterlapsis delirium ortum est vivax, hilare, quod post quatuor horas transiit in catalepsiam perfectam, quae durabat quinque horas, tum vero redierunt conscientia et facultas libera agendi. Apud alterum eadem oriebantur symptomata, hallucinationes, deliria, cantatio, strepitus, horis sex post catalepsia eadem, quae omnia, octo praeteritis horis, plane cessabant. Secundo die ambo aegroti perfecta fruebantur valetudine, neque ulla videbatur medicamenti noxia actio insequens, amboque omni dolore ita erant liberi, ut sanati dimitterentur.

B. Rheumatismus chronicus. Hic quoque pluribus in casibus remedio illo tractatus est. Aegrotus, qui sarsaparilla sine eventu usus erat, recepit extracti resinosi cannabis indicae gr. j. Neque vero ulla apparuit reactio, quia aegrotus, ut postea innotuit, gunjah fumare solitus erat. Gunjah sunt folia siccata cannabis indicae, quae, sicut tabacum, ex pipa fumantur. Senex quidam robustus, qui pertinace vexabatur Rheumatismo, recepit extracti resinosi cannabis indicae gr. *ß* et jam duabus horis post cecidit in extasin. Qua in extasi perpetuo cantans et garriens magnum habuit appetitum, duas cito edit portiones et deinde somno captus est. Altero die vivacissimus experrectus est, non solum capitis doloribus, sed etiam omnibus hucusque per-

tinacibus molestiis liberatus, ut jam aliquot diebus post ex nosocomio dimitteretur.

Quae symptomata cannabi effecta denuo demonstrant, quantum sit particeps rheumatismi systema spinale.

Quod curam spectat externam, frigus et humor quam cautissime sunt applicandi, quum 1. facile dolores augeant, 2. rheumatismi processum de peripheria corporis depellant, et metastasin ad organon aliquod centrale efficiant. Laudanda est obtectio stuppa, erioxylo, lana ovilla, aut omnino pellibus. Optime adjuvant curam revulsiva, quae sunt: emplastrum vesicatorium, sinapismi, moxae, unguentum tartari stibiati, charta cerata, balnea. Emolumentum parant denique et praesertim in paralysi consecutiva inunctiones irritantes, acupunctura, electropunctura, galvanismus.

Rheumatismi chronici pertinacis optimum remedium est tempus. Sed adjuvandum est ordinata diaeta, calore tepido, balneis. Attamen haec cura aegrotis nimis longa videtur, nam cito doloribus liberati esse volunt. Jam adest supra vocatus apparatus medicamentorum, e quo medicamenta aptissima eligere possumus.

Si quaeritur, quaenam balnea maxime sint idonea ad curam consecutivam Rheumatismi, sunt laudanda Teplitium, Varmbrunum, Aquisgranum, sicut omnes thermae sulfuratae et uliginosae.

CAP. VIII.

C o n c l u s i o.

Si omnia, quae reperi et exposui, colligo, ad eam pervenio opinionem, Rheumatismum omnino esse nervorum morbum, nam multo majore gradu affectum est nervorum systema quam vasorum. Commune hoc habet Rheumatismus cum omnibus eis morbis, qui miasmatica quadam aut atmosphaerica oriuntur potentia, sicut typhus, cholera, dysenteria, febris intermittens etc. Nihilominus formari potest haud exigua systematis vasorum febris, quae tum cura antiphlogistica est oppugnanda. Prima autem indicatio est mitigatio dolorum et restitutio normalis cutis actionis.

Optimus curae modus hic est. Aegrotum oportet in lectum conferri omnemque vitare irritationem mentalem. Si non intensus est morbus, bibat aeger potionem aliquam calidam, ut sudorem acquirat. Si assecutus est sudorem, studeat medicus ei servando. Si juncta est affectio cum doloribus vehementibus, sequens remedium optimum esse reperi:

Rp. Ammonii muriat.
Vini stibiat. *ᾱᾱ* ʒij
Infus. Digitalis (ex gr. x) ℥vj
Extract. Belladonnae ℈j
Succi Liquiritae ʒij
MDS. secunda quoque hora cochlear.

Sin dolores magis pulsantes sunt, quam pungentes, si febris adest intensa, tum fiat V. S. Addatur deinde emeticum ex tartaro stibiato et radice ipecacuanhae, ut revulsivum et ad efficiendam crisin supradictum remedium. In chronico rheumatismo colchicum junctum cum aconito maxime prodest. Conjungi potest cum valeriana.

Optimum autem contra Rheumatismum remedium tempus.

VITA.

Natus sum Fridericus Guilelmus Truestedt Parthenopoli die XIV mensis Novembris anno h. s. vicesimo sexto, patre Friderico, matre Emma e gente Schmidt, quos parentes ad hunc usque diem incolumes mihi gratulor. Confessioni addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus Berolini gymnasium Joachimicum, auspiciis Cel. Meineke florens, per annos sex et dimidium frequentavi. Maturitatis testimonio instructus vere a. MDCCCXLIV ab Ill. Lachmann, rectore magnifico, civibus academicis adscriptus sum. Tribus annis post in universitatem Ruperto-Carolinam me contuli atque ab Ill. Rau, prorectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus sum. Duobus semestribus praeterlapsis huc reverti. Haec sunt, quibus per novem semestria interfui lectionibus:

Logice et psychologia Ill. Trendelenburg; physice et meteorologia Ill. Dove; galvanismi theoria Ill. Magnus; botanice Ill. Kunth; chemia Ill. Mitscherlich et Ill. Rose; compositio chemica superficiei terrae Ill. Mitscherlich; historia naturae generalis Ill. Link; zoologia Ill. Lichtenstein; mineralogia Ill. Weifs.

Porro disserentes audivi Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, anatome organorum sensus; Ill. Mueller de anatomia generali, anatome organorum sensus, physiologia speciali, physiologia generationis, anatomia comparata, anatomia pathologica, qui idem cum Ill. Schlemm dux mihi fuit in arte cadavera rite secandi; Ill. Hecker de encyclopaedia et historia medicinae; Ill. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus; Ill. Juengken de chirurgia, de laesionibus corporis humani; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Chelius de cura oculi morborum; Ill. Pfeuffer de pathologia speciali; Ill. Naegelé de arte obstetricia; Ill. Casper de medicina forensi; Cel. Simon de anatomia generali, de pathologia; Cel. Boehm de aciurgia; Cel. Troschel de fracturis et luxationibus; Exp. Dann de pathologia generali.

Clinicis interfui medicis et chirurgicis Cel. Wolff, Cel. Truestedt, Ill. Puchelt, Ill. Pfeuffer, Ill. Chelius.

Quibus viris omnibus quam maximas ago gratias.

THESES.

1. In cholera asiatica affectio membranae mucosae intestinalis non est primaria, sed praeponderante efficitur sanguinis dyscrasia et nervorum intoxicatione.
2. Operatio herniae, nisi incarceratae, pro caede est habenda.
3. Non existunt morbi mere psychici.
4. Non exstat scabies purulenta.
5. Ulcera syphilitica sola cura locali non funditus curantur.